

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Vita humana presens c cum fonte primo

Longam cenam malam nemo uult habere
nec ferre; longam uitam malam pene
omnes uolunt habere. Vtique si grande
est quod uiuimus, bonum sit ipsum
grande. Quid enim uis male? Dic michi.
Puto nichil
in omnibus actionibus, cogitationibus,
cupiditatibus.
Nichil male uis;
terram malam non uis, segetem malam
non uis utique sed bonam.
Bonam arborem uis, equum bonum,
seruum bonum, amicum bonum, filium
bonum, uxorem bonam. Et quid hec
magna quando quidem
ipsam uestem malam non uis habere sed
bonam? Caligam postremo non
uis habere nisi bonam, aut da michi
aliquid te uelle quod malum est.

Solam animam uis habere malam. Quid
te offendisti? Quid de te tu ipse
meruisti? Non uis esse
malum nisi te solum.

Augustinus in sermone.

Longam cenam malam nemo uult habere
nec ferre, longam uitam malam paene
omnes uolunt habere. Vtique si grande
est quod uiuimus, bonum sit ipsum
grande. Quid enim uis male, dic mihi,

in omnibus tuis actibus, cogitationibus,
cupiditatibus?

In
terra malam non uis segetem, malam
non uis utique sed bonam,
arborem bonam, equum bonum,
seruum bonum, amicum bonum, filium
bonum, uxorem bonam. Et quid haec
magna commemorem, quandoquidem
uestem ipsam malam non uis habere, sed
bonam. Caligam postremo ipsam non
uis nisi bonam, aut da mihi
aliquid te uelle quod malum est
nec te uelle aliquid bonum. Puto uillam
malam non uis, sed bonam.

Solam animam malam uis habere. Quid
te offendisti? Quid de te male tu ipse
meruisti? Inter bona tua non uis esse
malum nisi te solum.

Augustinus Hipponensis, *Sermones in
Pascha*, 232, 8 (SC 116, S. Poque ed.,
pp.276-8, ll.197-211).